

DISSE<sup>M</sup>NTATIO INAUGURALIS POLITICO-MEDICA,  
DE  
**TUENDA REIPUBLICAE  
SALUTE  
PER  
MEDICORUM BONA CONSILIA,**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P RÆ S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONCILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.

SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE  
DECANO SUO SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO LICENTIA**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVENTIS

ANNO MDCCXLV. D. FEBR.

*Publice ac placide Eruditorum ventilationi subjicie*

AUCTOR ET RESPONDENS

**HENRICUS BERCK,**  
CURIAE-BARUTHINUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.





## PROOEMIVM.



Bonum omnium commune *salutem* esse  
Reipublicae, eaque, quae ad *bene esse* ci-  
tium faciunt, a quo quis eorum perfici  
debere, Scriptorum quisque Ius Na-  
tureae atque gentium illustrans libere  
faciebitur. Qua re primam ipsa ratio cum Naturae,  
tum Politices legem constituit praecipiendo, ea esse  
facienda, quae salutem & tranquillitatem Rei pro-  
mouent publicae, omittendo omnia, quae utriusque  
contrariantur. Quae congrua sane salutis publicae  
regula ut sancte expleatur, quemuis ciuitati addi-  
ctum per vniuersum vitae sua decursum acriter  
obstringit, quoniam Sapientissimus ipse rerum na-  
turalium Auctor, & summus Imperans dictum il-  
lad in vniuersa rerum natura aperte promulgau-  
rit. Profundunt ex ista saluberrima & diuina lege il-  
la membrorum societatis egregia officia auertendi

A 2

ea,

ea, quae contra Bonum Rei publicae noxios profert effectus, illa potius communi studio adhibendi, quae finem illum optimum communem proxime attingunt. Pertinent ad ciuium salutem *vita* potissimum ac *sanitas*, quibus laesis nulla accepta datur bonorum reliquorum huius seculi perceptio: vnde in primis factum esse credo, quod Imperantes leges interdum publicauerint, quae ut ciuium vita omni opera curetur & sanitas, morbi contra & infirmitates profligentur caueanturque docent. Vid. *Editum Medicinale Electorale Brandenburgic. d. 12. Nou. 1685.* cum *constitut. Med. in Dispensator. Brandenb.* it. die Hochfürstl. Brandenb. Bayreuthische Medicinal Ordnung.

Quem ad modum autem alter sanam alterius vitae constitutionem effectu vario, iracundia, laesione ab extra inflicta cet. in peius mutare facile potest: sic in cuiusvis positum est potestate, animi tranquillitate, atque in & externarum laesionum prudenti omissione & praeoccupatione suam aliorumque tueri valetudinem. Quum itaque omnes ad hoc profecto maxime proficuum officium saluos ac sanos se in vicem seruandi per naturam & societatis leges satis impellantur: praestare idem iis maxime conuenit, qui e sociorum numero a medendo Medici iure meritoque vocantur. His prae reliquis regulae societatis communis studium imponunt quaecumque attendendi, quae sanitatem ciuium male querunt, eis obicem simul ponendo quacumque opera, quo quantum fieri potest, salus publi-

ca

ca a quolibet animi hilaritate & acquiescentia percipi queat. Nam quicquid in hac praeclari Arte rei Medicæ didicerint cultores, rei collegerunt publicæ, cuius salus studiorum quorumuis finis ultimus, omniumque lex esto suprema. Necesse igitur est, ut Medici studio peculiari salubritatem ciuium respi- cientes operam adhibeant omnem ad cuncta ea ob- stacula fortiter remouenda, quibus vita sociorum minuitur & sanitas, Lernaque multorum malorum exoritur in Republica. Quae sanitatis impedimenta fontica præcipue ponenda ego quidem existimo in consilis istis auxiliis prauis alias dictis domesti- cis, quibus ciuium alter alterius integratati bellum, ut constat, infert quotidie, miseriam, mortem.

*Vid. B. FRID. HOFFMANNI Dissert. de noxis ex re- mediis domest. incongrue adplicatis. Hal. 1729.* De qui- bus quum satis mihi cognitum sit, fusius iam egisse quosdam Auctores, v. g. PRIMEROS. de vulgi er- roribus in medicina, B. HOFFM. diss. circa. atque Dn. D. PRAESID. Disp. de remed. morborum superstitionis, Hal. 1737. de cura per domestica ibid. 1727. & de Tortura domestica 1735. &c. eaque per rationes & experien- tias, quoad noxas creant, repudiasse: de hac qui- dem disquisitione nil amplius addam, id potius, quamquam arduum, argumentum aggressurus, qua ratione salubritati ciuium contraria quaevis e- ruenda sint, quoque consilio & auxilio a Medicis quibusuis sinceritatis nota conspicuis vel auertenda veniant, vel saltim emendanda. Thema ergo Dis- sertationis huius Inauguralis Specimen edet dicti ar-

gumenti, DE TVENDA REIPUBLICAE SALVTE tractans PER MEDICORVM BONA CONSILIA.

Pro viribus adhuc exiguis, nemini personarum infestans, veritati ac bono publico solum studens, rem, quantum possum, rebus convenienter tractare, sedulo allaborabo, sperans fore, ut quibus salus omnium & quoad vitam & sanitatem, ciuium tuendam curae est cordisque hunc laborem meum aequo animo & iudicio suscipiant, cogitantes, quoniam specimen saltim ardui argumenti indicati, resque sit non vnius virium, ea potius maiori doctrina ac studio supplere, & vltiori elaboratione coagmentare, quae hic ob virium tyronis Medicis teneritudinem & dissertationis terminos breviter admodum possunt pertractari.

§. I.

 **P**erscrutanti mihi salutem omnium communem consiliis medicis tuendam explicato satis in *Primum* salutis publicae termino explananda adhuc supereft consiliorum Medicorum notio, qua intelligo regulas media continentes & eorum applicandi modum, quibus vita sanitasque hominum facile ac congrue tueri queant. Quam consilii medici definitionem ad rem referens publicam regulas Medicorum peculiariter ad ciues applicandas puto; media enim suppeditare ac methodum debent, quibus ciuium vita pariter ac sanitas optime conseruari integra possit, laesa restituvi. Nexus inter Medicorum talis tenoris consilia ac rei-

reipublicae salutem dictis in Prooemio satis me exposui.  
se credo.

§. I I.

Quare ad ipsam statim rei tractationem me accin-  
gens, ut ordine procedam *duo* potissimum *Momenta e-*  
*voluam*. I. *Damna* scrutans, quae ex laesione sanitatis vi-  
taeque ciuium quacumque inducuntur Reipublicae; II.  
*Consilia* subnectendo *medico*, quibus illa caueri partim,  
partim praesentia remoueri possint. Istud quidem mo-  
mentum planum fieri, cum potiores indicem eiusmodi  
*noxos*, *fontes* dein earum in primis demonstrando, e qui-  
bus tanta malorum copia profluit in Rem, quam voca-  
mus publicam; hoc intelligetur distincte demum, si Me-  
diorum consilia salubria quam maxime ad obruendos  
tot stragum fontes dirigantur.

§. III.

M O M E N T U M I.

*De Damnis ex ciuiam insalubritate qua-*  
*uis caussa oborta in rempublicam*  
*transgredientibus.*

**D**amna, quae adficiunt ciues & respectu eorum in-  
tegritatis vitae atque sanitatis, facile permultas  
etiam noxas ob vineulum sociale saluti omnium  
communi procreant; nam quotquot peculiaria societa-  
tis membra morbis corrumpuntur quavis caussa prouoca-  
tis, omnia ac singula id utilitatis atque bonorum Rei de-  
trahunt communi, quod viribus vegetis, studio debito,  
& indefesso labore ad commune Bonum conferre alias  
potu-

potuissent. Quare sit, vt quo plura quoddam ciuitatis subiectum officia utilissima praestare valet, eo maior sit censenda commodi publici hac etiam ex parte damnorum species; nec mirandum, quando Imperantum sapientiores, vel adiutores eorum in regimine; quando officiis publicis, vel opibus ditati; quando experientia, doctrina, prudentia & arte Publico quam viles; vel quando peritus rei oeconomiae suorum aliorumque salutem omni actione sua respiciens pater materue familias debili partium corporis constitutione, graviori morbo cer. reipublicae maximam partem, vel plane inidonei redduntur: tantam malorum seriem in familias, & ex iis in ipsam denique deuolui societatem publicam. Quam perniciem vberius introspiciemus, si distinet, at breui calculo computemus noxas, quae per laesam ciuium ex quavis cauſa sanitatem transcendunt in Rem publicam.

#### §. I V.

*Neminem laedas*, notissima est Iuris naturalis, & simplicis, & politici, regula, quam tamen, cum aerogantes plurimos confideres, quotidie praeteruideri reperies, quippe more ferme verusto vel aegrorum ipsorum status valetudinis per incongruas quascumque medications imperitorum, vel sic neglectis optimis Medicis, horum maxime laedatur fama, nomen, atque auctoritas. Vtrosque laefos ad ciuitatem pertinere quisque facile concedet, vt negandum minime sit, rempublicam ob membrorum nexum intimum mox sentire, quae indiuidua sociorum subiecta male adſciunt, corrum-punt,

punt, eorumque vitae, vel sanitatis, vel famae prouocant atque efficiunt dolendam omnino iacturam.

## §. V.

Quod attinet 1) noxas ex parte *aegrotantium* in Ciuitatem transeuntes, ad eas procreandas contribuunt omnes morbi grauiores, profundi, inueterati, non curandi, nec non varia vitia externum corpus male afficiantia, vel deformantia quaedam, ut v.g. phthisi, malignis morbis, lepra, morbis venereis, melancholia, mania laborans, itemque anorchos, mutilus, ulceribus veruistis scatens, contractus cet. in sociali vita facile ad negotia peragenda per maximam vitae partem, vel per aetatem omnem inepti reddantur, commoda sic ex iis capessenda in republica minuantur, nec raro plane pe-reant. Quare cum stupendum chronice aegrotantium numerum vitiisque externi corporis obfessos mente paulo attentiori computes; atque singulorum bona: quae ad commune Bonum studio ac indefesso labore conserunt, morbos sonicos destruere perpendas: largieris profecto, magnam damnorum molem exinde in rem excrescere publicam, quae non minus ac aegrorum acerbus stuporem menti iniiciat. Augent tot malorum copiam omnes isti homines *malevoli*, qui virae suae iniqua ratione, vel prauis imperitiaie consiliis auxiliisue ciues mente atque corpore infirmos, acute affectos, viraeque periculo obnoxios, & ad negotia perpetranda sua, vtilitatesque ad rem communem conferendas inidoneos formant. Ad quorum censum potissimum accedunt *iracundiae* habitu exercitati quemlibet statim verbis verberribusque aggredientes, qui alios, in primis teneriores,

B

in

in terrorem, iram, morbos biliosos, artuum tremores, morbos spasticos, nec non convulsuos motus interdum misere coniiciunt. vid. Dn. PROMOTORIS *Dissert. de irae energia ad morbos producendos*, Hal. 1720. Horum noxiiorum copia haut parua occurrit in communi vita, vt quotidie exempla fere tristissima exstent eorum, qui ira commoti vel aegri euadunt, vel praematura sic accersita morte ex societate in magnam eius perniciem discedunt. His adiungendos credo *Lascivus* nefanda impuritie semetipos & alios quam plurimos corruptentes, quorum abominanda vitae indole perplures vel viribus debilitantur, vel morbo opprimuntur impuro, vel ad sobolem rite procreandam impotentes efformantur in damnum reipublicae perniciosissimum, quam ciue legitime adaugere & reuelata, & per naturam manifestata requirit summi Numinis voluntas. Vid. HOFFMANN. *Diss. de morbis ex nimia & intempestiu venere oriundis*, Hal. 1725. Nec eos ad hanc metuendam in Republica hominum classem referre erubescit veritas, quorum vel imperitia, vel mens malitiosa nil nisi ciuium aegritudines angere intendit, vel opes eorum solum apperendo ubique in morbis illorum operam suam, rarissime proficuum, consilia mutila, auxilia falsa, vt plurimum valde noxia suacione fallaci obtrudit, vt veritati haut contraria affirmes, si plures ciuium imperitia quotannis, ignorantia, malitia ac superstitione, sonitorum remediorum vsu peruerso, atque consilio minus congruo Doctorum Bullatorum, medicastrorum, agyrtarum, vetularum aliorumque rei medicae nesciorum hominum laedi, vel etiam morte supprimi contendas, quam vi hostium, gladio,

gladio, tormento militari. Conf. HOFFMANN. *diff. ci-*  
*tar. de noxis ex remed. dom. SCHULZII Disp. de curat. lau-*  
*dabili & vituperabili Hal. 1739. f. II. STAHLII diff. de cauf-*  
*siis praecipuis effectuum tragicorum in medicina, Hal. 1712.*  
*f. 5.* Morbos praeter ea accumulant *Intemperantia* e-  
 iusque species non minus vituperanda *Ebrietas*, qua-  
 rum effectus interdum periculi plenos abunde inter ho-  
 mines experiri licet. Quae quaeſo ciuium strages tali  
 dolenda reipublicae constitutione ortum capere mole-  
 stum, aerumnosum atque non raro funestum possunt!  
 Mente enim ac corpore fani proiiciuntur ſic in magnum  
 virium defectum, morbos prauae indolis, ne dicam  
 mortem premaſtaram; aegrotantes motibus per incon-  
 grua, vel mentis excitationes ſive auctos, ſive peruer-  
 ſos, ſive denique debilitatos grauiori corripiuntur im-  
 petu, ac magis dubio morbi decurſu; permulti curatu  
 faciles ſpe boni enentus penitus destituuntur; multi mi-  
 ſera multitantur morte. Membris itaque tam in Repu-  
 blica varie corruptis, quid ſentis communi Bono dero-  
 gari? Inducuntur fraudes; ſanitas perit; periclitatur vi-  
 ta ciuium; mors vel per agnatos aegrotantis ipſos, vel  
 per alios homines ignaros, vel lucri cupidos in olla ad-  
 fertur & ſcatula; officia ac negotia communi ſaluti ſane  
 proficua quam plurima in tantum vel in totum ceſſant;  
 perduuntur res; aurum fugit; miſeria familias inuadit re-  
 rumque necessariarum penuria; ſtatus ſic deterioratur  
 ciuilis; aerarium amittit, non augetur: vt vno certe fo-  
 ciali membro morbis & quacunque etiam laefione gra-  
 viori externa ſuppreſſo, plures mox variis ſimul af-  
 fligantur noxiſ, priuentur ſaltim bonis quibusdam,

quorum defectum ipsa demum acriter persentit Res-publica.

### §. VI.

Addenda 2) ad hoc pauca de damnis, quae societatem adscientes facile communem ea quidem ex parte, cum *Medici* arte sua optime instructi, & exerciti auctoritati suae & famae permultos saepius ignaros detracturos conspiciant. Raro enim nequaquam sit, ut emunctoris nasi familiae elatiores, vel aliae inferiores magno numero agyratas, aniculas & alios arre Medicis abutentes Medicis vel experientissimis & doctrinae laude inclytis, quo nescio, iure anteponant: quo iniquo facto vix sanae mentis indice sibi plerumque accelerant amatorium morbos perpetuos, eorumque funera; quae maxime aduersa, siue infirmos factos vel occisos respicias aegrotantes, siue Medicorum bonae indolis periclitantem famam, damna inferunt Reipublicae permulta, societati utilia membra abrumpendo, inutiles atque perniciosos homines adsensu suo commendando inque noxio suae ignorantiae vel malitia etiam exercitio conseruando. At qui Medicorum artis dexteritate cognitorum prudenterque officia saluberrima, & fructus in Bonum publicum inde proferendos dictu vix faciles sobria perpendicular cognitione: profecto non potest non irasci dementiae eorum, qui operam vere Medicam parui aestimantes, nomen inclytum Medicorum, publice concretum honorem, breui optimam eorum famam deridendo destruere penitus laborant, vitamque suam suorumque ignorantiae, malitia & superstitioni tradere quam peritis in arte malunt. Largiendum sane esset, dum modo

modo fraude ac pernicie semel affecti resipiscerent; vel  
damna sic inficta iis, qui laeduntur, solum adhaereant:  
sed quum plures, quin totam denique societatem malis  
premant §. 5. dolenda omnino est eiusmodi multorum  
insania, infringenda ob populi salutem, punienda pro-  
pter malitiam ex parte commixtam; de vita enim agi-  
tur & fama ciuium.

## §. VII.

Indicatis igitur noxis quibusdam, omnes enim  
qui determinare valet? quae ex sanitate & vita ciuium  
deperdita transferuntur in societatem publicam, ut *Fon-*  
*zes* nunc tantorum ac santicorum malorum aperiam or-  
do postulat tractationis. Exstant equidem quam pluri-  
mi, ego non nisi potiores attingam. Connatum 1) se  
offert, at vt plurimum sinistre adplicatum studium quae-  
uis ab iis, quos amamus, mala auertendi. Qui natu-  
ra sua minime vituperandus animi affectus potissimum  
exprimitur erga consanguineos, vt quemuis facile in co-  
gnatorum morbis Medicum existere videoas domesticum,  
quoniam vitae insalubritatem suarum inter mala censem  
familiarum praecipua. Fulcrum, cui innititur haec  
quoad adplicationem sinistram mala amatorum profi-  
gandi cupidio, amor est consanguineorum erga se inuni-  
cem plane singularis; innoxia itaque censenda, quamdiu  
inter iustos versatur fines, ea solum per vires proprias  
pro dilectorum salute vitae conferendo, quae sunt in  
iis posita, quae minus, prout Ars est sanandi morbos,  
in primis inueteratos, acutos, periculis expositos vitae,  
prudenti animo earum rerum gnatris transmitendo. Ast  
quae mediorum farrago more ferme consueto colligitur

ab imperitis consanguineis agnatisue ad vnicum saltim & leuioris momenti suorum morbum vi propria debelandum, quibus confuse & male applicatis adfectus nullius fere aestimationis in summe acutos, hos in chronicos, periculo plenos, haut raro lethales misere transmutant. Est ergo hocce studium connatum peruerse ad morborum curam applicatum multarum infirmitatum ac morborum pruae indolis origo, ex quo amore suorum commoti plurimi interdum auxiliis minime conuenientibus homicidia committunt vera, sed impunita.

### §. VIII.

Ad tot malorum fontes credo esse adnumerandam 2) consuetudinem vel raptum fere omnium communem aliis inferiendi consiliis remediisque ex aliorum morbis vel Medicorum libris desumptis ad casus similes ea commendando, vires licet medicamentorum, siue sint domestica, siue pharmaceutica, multo minus eorum iustum applicandi methodum & subiectorum prudens discrimen minime capiant. Qua de scaturigine noxarum in re publica innumerarum quotidiana abunde testatur experientia. Statum sane inter socios vix unum deprehendes, cuius subiecta plurima remedia suadere aliis ne-  
sciant;

*Fingunt, enim se Medicos quiuis Idiotæ, Sacerdos,  
Iudeus, Pastor, Hisprio, Rector, Anus,  
Miles, Mercator, Credo, Nutrix & Arator,  
Rastricola, Molitor, Pistor, Agaso, Faber,  
Ambubaciarum collegia, Lamia, Sartor,  
Sutor, Decoctor, Pharmacopola, Magus, et.*

vt veritati respondeas, si ab hisce copiis per aetatem o-  
mnem bellum geri ciuile funestissimum Reique publicae  
maxime aduersum iudices. Quod ad me attinet, sae-  
pius obstupui, quum per trium annorum decursum Col-  
legio interfuerim Clinico Praeceptoris numquam satis  
colendi praestantissimi IVNCRERI, quod nulla ferme  
praeterierit horula, qua non exstirisset vnicum saltum,  
saepe plura, morbi corrupti, vel etiam lethalitatis per  
incongrua ipsorum parentum vel aliorum imperitorum  
inductae exemplum lacrymis peritorum omnino excipi-  
endum. Id vero animi stuporem maiorem fecit, quod  
quamquam rotunde, modeste tamen exprobretur homi-  
num ista ignorantia, ne dicam insania, nemo facile in  
meliorem recedat ac iustam viam; funera potius in dies  
augentur dicto illo satis confirmato: tyrrannum esse con-  
suetudinem numquam impeditam, eumque crudelissi-  
mum, quo diutius toleratur. Quilibet autem re medi-  
ca, virae ac morborum solida notitia, atque methodo  
medendi & mediorum cognitione vera desitutus auxilia  
ferre medica minime valet, vid. §. 13. praestare enim ge-  
fit, quod in viribus suis positum non est. Quare nil  
nisi morborum corruptio, vitae periculum & inde or-  
tum trahentia mala plurima §. 3. 4. 5. sunt exspectanda,  
si quisque ignarus alteri Medicus subuenire, dum aegro-  
tant, student, vt vere raptum hunc aliis succurrendi re-  
mediis fontem dixerim multorum malorum in Repu-  
blica.

### §. IX.

Accedit 3) aeris ad comparanda medicamina neces-  
sarii dolenda apud multos penuria, atque gratuita reme-  
diorum

diorum distributio deficiens, malum santicum, cui sola medetur misericordia. Nam egenus quisque sic, vnde auxilia firma petat morbis oppressus nesciens vel omni deficere remedio cogitur, quod interdum mortem certissimam infert; vel noxia quaevis domestica, raro enim congrua feligere valent, quaerit auxilia sanitatis reparationem sperans. His magno vitae detimento dubie adhibitis gemebundi demum fata dolent sua miserrima. Noxae inde exortae sunt eadem, quae §phis prioribus recensuimus, si prouti debes, hos miseros ex ciuitate numquam exclusas.

## §. X.

Fons grauioris miseriae inter ciues, ex quo deteriora multa profluant, est Practicorum quorundam inscitia, vita commoda, morosa aegrotorum tractatio, intempestiu quaedam timiditas apud maiores gentis, lucri studium aurique fames. Conf. PRIMEROS. de vulgi erroribus in Medicina L. I.c. 2. STAHLII *Diff. de caussis praecip. effect. trag. in Med. s. VI. sqq.* HOFFMANN. *Diff. de Medicis morborum caussa.* Theorie enim sanae Medicæ defectus caussas morborum veras cognoscere prohibet, confundit omnia, proficia ab ineptis discernere nescit, atque adeo quaecumque imperitorum auxilia adpropria habere, vel alia incongrua praescribere cogitur, ut tantum sic peccent Medici imperiti, quantum plebs eosdem ignorantia praecedens. §. 8. Proueniunt autem ex hac Medicorum quorundam ignorantia casus permulti in peius mutati, non raro funestii; nesciunt enim causas tollere morborum, quoniam easdem rite animadvertere non valent. Salus etiam multorum grauiori mor-

morbo laborantium perit, quando *vitae indulgens commodae* Medicus pigre tractat curationes aegrorum, licet probe curare eos apprime sciat. Nam sic otiosus symptomata scitu maxime necessaria plerumque neglijit, *euxugrav* in propinandis medicamentis nullam feruat, generaliora magis praescribendo, ut saltim aliquid fecisse puretur. Quo imprudenti facto morborumordo & natura variatur pessime, cauſa rarissime remouetur, morbi euadunt chronici, quos tamdem febris illa excipit ab habitu Hectica cognominata. Quantam *mens Medicorum morosa* aegris, praecipue sensibilioribus, infligat perniciem, is adprehenderet, qui, quid animi valeant pathemata in morbis varie deteriorandis non ignorat; motus enim maxime turbantur eorum impetu, qui tamen per naturam ad cauſam morbi destruendam faciunt, ut anxiæ aegrotantes facti vel maiori dolorum gradu excruciantur; vel spe boni euentus frustrati decurrant in debilitates mortuum; vel virium plenariam amissionem experiantur. Quaevis horum vitam deſtruunt & sanitatem aegroti. Quam detersanda denique sit ratio eorum, qui quidquid ad aegrorum salutem scribunt, dicunt, faciunt, *lucri cauſa* agunt, opes sic aliorum praeter necessitatem male diripientes, cum pauca sufficiant ad morbum debellandum, nec honesti viri sit facta auri fame cuncta molestare: tam culpanda, licet ridicula videtur mihi illa quorundam Medicorum *puffonitas*, qua stirpis altioris hominibus timidi ob eorum autoritatem omnia probant, quamquam incongrua sint, quæ isti ad suos suorumque morbos curandos usurpari iubent. Hac ergo ratione Medicorum aliquorum *ignorantia*

*rantia periculosa* valida existit inuentrix multorum incepitorum in Medicina, quae tamen plurimum nocent; *pigritia* homines aegros saluandos seruare turpe omittit; *mores* optimorum remediorum effectus salutares sufflaminat; *timiditas inopportuna* quaevis facile inidonea admitti probat, saltim non impedit; *aure cupidus* res ciuium malitiose perdit, medicis ac arti eorum maximam parit ignominiam; ut fontem profecto commixtum videoas, ex quo, cum sedulo scrutes, profluuia malorum poteris deducere, quae primo familias, vel individua corrumpunt, donec demum in plurimum, & totius reipublicae noxas plurimas desinant. Plura, Loca demonstrent in ipsa §phi fronte adnotata.

## §. XI.

Ad dictas noxarum origines s) abusum refero priuilegiorum Operatoribus, Oruietanariis, Vermium tyrrannis aliisque huius census similibus hominibus communem. Abutuntur vero cum expressis sic dictis priuilegiis, tum etiam tacitis, ut teste perpetuo experientia damna eos ciuibus impingere magis videoas, quam parare aegris, vel externo corpore laefis medelam. Equidem, illos, antequam sua remedia distribuendi libertatem nanciscantur, Collegii Medicorum examinibus tradi satis scio; at dubium certe vexat animum, an fallenchi & aurei cupido eius frugi hominum tentamine isto remoueri simul queat; ut ergo anceps saltim sit horum expresse concessa inter ciues curatio, atque ob maius damnum metuendum, quam emolumentum sperandum potius perhibenda. Quantum pernicie ciuitati conciliet, cum eius indolis medentes, non impediendo eorum du-

bia,

bia, vt plurimum mali exitus auxilia, in republica toleremus; attentio intimior casuum tragicorum ex illorum curatione coortorum optime perspicuum reddere, vt ego quidem sentio, poterit. Remedia eiusmodi artificiorum vel drastica reperies, vel superficiaria; suspecta saltim eam ob caussam videntur, quoniam ea iurando, testimonis quam plurimis plebi ea commonstrando, picturis, histriionibus aliisue plebem commouentibus commendari solent, quod fallaciam potius, quam sinceram artificis mentem olet. Quid vero inde salutis, ac spei boni euentus exspectare licet? Metuo illam sonnicam morborum in & externi corporis metamorphosin, quae acutos transfert in diurnos, hos in lethales euentus; quae inflammations confert in ulcera chronica, fistulosa, malae curationis cet. aliis tormina concitat, aliis contracturam, aliis tabem imponit. Quae pericula mentem impulerunt, vt hunc priuilegiorum vel expressorum, vel tacitorum abusum fontem dixerim longe plurium malorum, quae ciuitatem vexant maxime. conf. §. 5.

## §. XII.

Fontes indicandos demum accumulat Chirurgorum magni numeri cum in arte sua imperitia, tum infelix ille in Medicorum forum solitus transgressus. Hi enim eadem incongruo artis exercitio mala aegris infligunt, quae spho priori circa finem notare debuimus: internas aggredientes ciuium afflictiones eo maiora damna creant, quo certius iis destituuntur requisitis, quae faciunt Medicum, & quorum summa est, vt statum hominis, aegri prouti sani, remedia congrua, rectam me-

thodum, prudentiam medicam, reliqua apprime noscat, habituque instructus sit omnia ad aegrorum salutem rite adiplicandi. His omnino Chirurgi carent, vt plerosque formulas solum Medicorum imitari, species colligere mundificantes, ein Haussen so genannte Blut-Reinigungen, aliaque Medicorum artificia assimilare curata sinistre admodum ad statum morbi adiplicando reperias. Conf. IVNCKERI *Diff. de Chirurgia Chirurgiae necessaria.* Tantum certae sic noxae ac miseriae Rei adserunt communi Chirurgi, quantum plebs inscia suis domesticis confuse & male propinatis. Num ergo imperitus artis manualis cultor, Medicumque agens bono proposito publico, an varie eidem obsit, alii quicunque me maiori iudicandi vi instructi dispiciant. Habes itaque & ex Chirurgorum parte fontem multorum malorum, quae rem adfligunt misere publicam.

### §. XIII.

#### M O M E N T V M II.

*De Consiliis Medicis ad noxas ex laesa ciuium salubritate in Rempublicam transmissas rite profigandas dirigendis.*

**C**ognitis iam tam noxis ex ciuium infirmitatibus in Re communi capessendis, quam earum quibusdam fontibus praecipuis, Consilia subiungam Medica, quibus origines tantorum malorum obrui atque ipsae noxae cum caueri, tum auerti penitus, dum quae adsint, queant. Sed antequam promissa praestem, ob-

stacu-

staculum istud vulgare, quod plebs & gens supra plebem posita Medicorum consilio obiicere solet, remouere necessarium duco. Vno enim ore omnes solito vociferant: die Schäfer, Zahn-Aerzte und Markt-Dottern, ingleichen alte und kluge Weiber verstehen oft mehr als die Medici; denn sie thun Euren an Leuten, welche die Medici nicht praestiren können. Quae etiam si veritatis speciem monstrant, quoniam ad casus prouocant obvios isti homines: dicti tamen nullitatem statim inuenies, si vel ipsos iudicantes, vel etiam laudatos proprius consideres. Hi morborum caussas, symptomatum rationes, iusta & adpropriata medicamina ordinanda, methodumque ea pro diuersa subiectorum, temperamenti, sexus, Climatuum, temporum, consuetudinis, sensibilitatis, ratione rite adiplicandi nescientes, quid quaelo salutaris effectus afferre miseris valent? quaeque ratio vincit animos suam suorumque vitam aequa ac sanitatem iis commendando, qui easdem conseruare turbulentio quidem ausu intendunt, per vires autem, quae deficiunt, minime callent. Illi nescii eorum, quae ad morborum curationes felices ac solidas desiderantur, iudicia rei respondentia ferre plane nequeunt; vnde sit, vt fallacia caussae seducti laudes canent summas vel summis impostoribus. Casus sane complures si aequa lance compares eorum, qui per istam hominum faciem sanitati pristinae restituti vulgo dicuntur: minime euentum curae salutarem deprehendes in sapienti scilicet hominum eius sortis consilio & auxiliis adhibitis, sed vel in naturali vegeti & durioris corporis restitutione spontanea; vel in remediis prudentis Medici antea saluberrimis ingestis,

quibus sic cauſa morbi reiecta, illi demum rei medicae ignari ſuam adiunixerunt neque nocendo, neque quid ſalutaris effectus adferendo operam; vel caſu fit, vt arripiant medicamenta rei conſentanea, quorum applicatio prudens iis attribuenda non eſt, quoniam nec morbi indolem & cauſam perſpicunt, nec mediorum noſcunt vires & modum rite ea propinandi ad indicationum certarum veram rationem. Eſt ergo veritati magis conſentaneum, quod vbiuiſ obuija experientia conſirmat non fucata, euenire *rariſſime* applicationem aptorum per istos homines remediorum; *vberiora* contra exſtare exempla triftia, quibus prauis auxiliis ſuis reparandam aegri sanitatem in dies retardant, nec raro periculum mortis inferunt; *pauctores* exiſtere caſus, vbi eorum facta incongrua ſecurae ſint plagae nullae grauiores. Quare ſanus quisque animi facultate intellectuali concedet facile, obiectionem illam momenti eſſe plane nullius, quod enunciationem attinet lepidiſſimam; at certe maximi, cum damna exinde largiter premanantia in ciuitatem respicias. Strat itaque tam rationibus, quam per caſus conſirmita conſiliorum medicorum ad sanitatem ciuium magnam, ne dicam praecipuam ſalutis publicae partem, tuendam ſumme neceſſiorum iusta applicatio, vt maiori nunc mentis conuictione ea poſſim communicare dogmata ſaluberrima, quae e Medicorum penu deprempta media aperiant tot primo momento ſummatim collatorum malorum Rempublicam male adſicientium fontes ſalutariter occludendi.

## §. XIV.

i) Connatum iſtud ſtudium mala, in primis morbos

bos auertendi suorum, vid. §. 7. potissimum mentis prudenti opus habet emendatione; quam quisque tunc apprehendet, cum casus suae & aliarum familiarum lugendos ex domestica cura coortos probe compareret, atque attente scrutetur, num in viribus stet suis mala praesentia proprio ausu adhibitis mediis, praesertim aegritudines suorum grauiores auxilio domestico salutariter profligandi. Sane veritati studens libere se ineptum ad haec negotia perpetranda medica farebitur; quare ratio ipsi & naturae leges suadent, consilia & opera ista salubria iis transferendi, qui notitia vitae & sanitatis, morborum, indicationum, mediorum methodique, & habitu cuncta in aegroti verum emolumentum conferendi apprime calent. Sic enim iusta sit instinctus illius naturalis adplicatio, & noxas ipsi vere multas repellunt atque praecaudent; vt vero alii nullas creent, ne in auxilium deueniant aegrotantibus suis eiusmodi rerum salutarium aequae ac ipsi ignari, studiose canent. Quoties igitur aegrotare quem suorum vident, regula ipsis sit commendatissima: qui medicari nescit, mederi etiam nec valet, necque debet; vt absurdum inde facile censeas, quando vel eiusmodi efflagitetur anxie medicatio inepta, vel absque ratione aliis commendetur.

### §. X V.

2) Consuetudini prauae imperitorum artis medicae quorumuis medicos agendi in debellandis aliorum morbis Reipublicae periculosisissimae, vid. §. 8. Medici opponendam iuste suadent desuetudinem. Haec successiva ac voluntaria noxiae indolis illius raptus cognitione, & habitus auxilia ferendi aliis depositione circumscribitur;

tur; atque, cum raro homines prauis adsueti libere omittant facta sua in habitum ducta, publica magistratus legge omnibus iniungenda, & quando morem homines nullum gerant, poena facta digna est confirmando; ut quisque anteponendam terrenis bonis reliquis esse ciuium sanitatem probe cognoscat, neminem igitur quoad salubritatem laedendum aperte discat, atque studium Imperatoris prober communi bono ac omnium saluti sacramum. Ut qui quis ad liberam noxiorum talium auxiliorum omissionem mentem commouere queat, sedulo has ei imprimat serias cogitationes: eos qui rem medicam nequaquam exercere callent, quolibet anno *permutas* edere in Republica strages fonticas, quarum exempla numquam, dummodo sobrie attendatur, desunt; *multos* per non medicorum auxilia morti appropinquare, iisque supprimi; *plures* corruptos tradi manibus & consilio salutari Medicorum; *pauciores* illorum sanari posse; *paucissimos* denique spontanea restitui internarum virium curatione. Quae nisi horrorem excitant raptu indicato oppressis, atque conscientiam mouent, quid praeter vim publicam dictam iuste applicata largum illum malorum fontem exsiccatum reddat, nescio.

§. XVI.

3) Defectum cum aeris ad comparanda remedia & Medicorum operam compensandam necessarii, tum gratis distribuendorum medicamentorum admodum aerumnosum, & damnorum in Re communi multorum scaturiginem adpellare ex rationibus §. 9. ductis profecto licet. At quis scandalum istud remouere in republica valer? Ego quidem, & quis non assentiet? ipsam Rem iudico

dico publicam. Duo nempe sumtu publico sunt compara-  
randa ad fontem tam sonticum perniciei inter ciues octo  
cludendum, a) *Parmacopola* quispiam tantum accipia.  
ex communi collectione, quantum ad copiam remedio-  
rum aegrotis gentibus respondentem quavis urbe com-  
parandorum atque componendorum sufficere potest  
accedat b) *Medicus* a publico seruandus, qui media illa  
gratis exhibenda legitime aegris propinare studeat.  
Quoduis separatum pauperes parumiuit; optima enim  
nocent, cum male adlicantur; hoc autem congrue ad-  
plicare Medici & docti quidem atque exercitati est officium,  
non plebis, agyrtae, & horum similium. Sum-  
tus ad haec duo Reipublicae tam necessaria, quam profi-  
cua, ne dicam splendorem eius apud ceteros & famam ex-  
altantia coordinanda tanti non sunt, quanti aestimantur;  
rite enim adhibitis paucioribus, dum damna simul auer-  
tantur inter vulgum solita ex proprio adiumento vel alio-  
rum imprudenti orienda, iisque sumtu leuioribus, pau-  
ci numero inter ciues egeni morbos patientur; ut pro-  
babile sit, successu temporis impensas fore admodum  
minores. Accedit, quod multa facile paranda, & vi-  
lissimo pretio colligenda maiori sane copia praeparari &  
distribui eo magis gratuito possint, ut cuius mizerorum  
supellestili curra conspicuorum misericordes facilius  
subuenire salutariter ciues queant. Huius census credo  
esse Sal illud egregium mediae naturae, quod paratur  
ex solutionibus cinerum clauellatorum & vitrioli, atque  
omni morbo lymphatico, ubi aliquid resoluendum vel  
in primis vel secundis viis est, apprime conueniens.  
*Tortor* dicitur *Vitriolatus*. Cui absorbendi scopo ad-

D

iungi

Jungi facile possunt tenerime praeparatae *cuorum re-*  
*stae*, & conchae circa fluuios abundantes. *Nitrum tem-*  
*perandi vi notissimum summo etiam pretio non venit,*  
*nec Cinnabaris.* *Tortori tincturo pari modo hic locum*  
*habet, cui ad latus varia ponit *Infusa* atque *Decocta* vel*  
*ex tribus herbulis & radicibus ubique obuiis ad scopum*  
*varium facile paranda.* Conuenit in primis *Veronica*  
*illa *Teucri folio* temperata, & bernica cum floribus in*  
*contusionibus factis ad sanguinem congrumatum resol-*  
*vendum.* Sumtuum minuendorum caussa Medicus ege-  
*nis praepositus *domestica* hominibus *usualia* attente &*  
*studiose scrutet, colligat, naturam eorum inquirat, vi-*  
*res exploret, atque rationalem selectum faciendo *pro-**  
*bata* ad curandos pauperum morbos adhibeat, *noxia ex*  
*publice concessa auctoritate seuere prohibeat.* Sic innu-  
*mera praecoccupantur damna & miseria & Rei publicae*  
*alias futura, & summum egenis confert beneficium ae-*  
*grotantibus ciuitas, quoniam vitam & sanitatem omni-*  
*bus reliquis liberrime anteponant.* Exempla gratae me-  
*dicamentorum distributionis pauciora adhuc, quod do-*  
*lendum, extant: praecipuum dat *Orphanotrophaeum**  
*Glauchense propter hanc urbem, ex cuius fonte phar-*  
*maceutico quotannis multa millia hominum opibus de-*  
*stitutorum cum ciuium, tum exterorum gratis sumunt*  
*remedia ac adiplicandi modum, quem explorata prius*  
*cuiusuis morbi caussa vera Medicus *Orphanotrophaei**  
*iam dictus Celeberr. *IVNCKERV*S adiungit.* Aliis locis  
*Pharmacoplia Regia Aulica hanc misericordiae speciem*  
*exercent, quale specimen Berolini occurrit, cert.*

§. XVII.

4) Medicorum quorundam virtus §. 10. breuiter e-  
narrata ciuibus admodum exitiosa nunc consiliis aliqui-  
bus Medicis corrigenda atque remouenda veniunt. *Ignor-*  
*antiae* optime occurrent Academiae, si neminem nisi  
sufficienti rerum medicarum notitia atque habitu quodam  
iis recte ad reipublicae salutem viendi se cognitum in ex-  
aminibus reddat, ad publicum honorem capessendum ad-  
mittant: Reipublicae dein est, vt ne ignari tales Medici  
ciues perdant, probe vigilet, & nullum, nisi requisitis  
Medicis satis instructum ac probis moribus conspicuum  
artem exercere finant. Hisce enim efficitur, vt iuuenes  
Arti salutari operam nauaturi solida sibi studia acquirant,  
damna sane permulta auertantur in societate publica, bo-  
no ergo consulatur omnium communi.

## §. XVIII.

*Pigritia* opprobrium Medici, quamquam scientia  
& habitu medico multos alias non imperitos antecedat,  
quoniam noxas parat ciuibus haur parui aestimandas, se-  
ria animaduertatur magistratum hortatione, quam dum  
vilipendat ignauus arte sua indignus, prohibendo illius  
exercitium firment. Quosdam, vt industriae studeant,  
forsitan excitat, quando operam illorum spernando aegri  
Viros in auxilium ducant non minus doctos & exercitos,  
quam indefessos; sic enim forte explore auream istam  
regulam diaeteticam: panem sudore vultus esse come-  
dendum, discunt, antequam aliis commendent.

## §. XIX.

Consilium eiusdem tenoris bono cum effectu *magis* adplicetur Iatris; nam fore credo, vt consultius putent aegris vultu sereno & aequo animo obuenire, quam turgida rugata facie & rauco magni Doctoris sono esurire, ne dicam, quod apud saniores ubique risui se exponant. At quibus per naturam & temperamenti rationem adspexit est tenebrosus & vox tonitruans, cum damna inde apud aegros praesertim stirpis altioris & maioris teneritudinis cum animi, tum corporis, & ubique Medicum prudentiam adhibere debere perpendant animo: non possunt non, si ciuium salutem vitiis anteponant naturalibus, quovis tempore & studio mentem aequaliter, atque moderamine vocis & accepta aegri tractatione adspicuum horridum emendare. Thrasones studio vi metuque auctoritatem effectu magistratus & horatu & potentia ad mentis moderamen & placidum artis exercitium sunt reducendi.

## §. XX.

*Obsequium quorundam Medicorum*, ex quacumque caussa trahat originem, quo natu excellentibus, splendore, diuitiis, potentia, auctoritate praeditis omnia, quae admitti iubent ipsi aegrotantes, licet incongrua ea cognoscant, facile adhiberi sinunt, quibus dein insani leuiores graues possunt incurrere aegritudines, maximisque exponi vitae & sperandae salutis periculis, abolendum iudico. His insidiis nempe honoratores familiae opponant sedulam circa Medicorum obsequia huius

ius tituli faciliora attentionem ; & cum fallacias deprehendant, ut non fucati Medici inferuant, hortentur; vel dum adulari pergunta, plane fugiant eorum auxilia. Praeterea melius eadem sibi consulunt, quando Viros peccatore sincero pariter ac medendi dexteritate probatos aegris suis in subsidium vocant; atque hos curiosis lepidisque quaestionibus infinitis numquam fatigare studeant, multo minus eorum monita paterna morosae, inquietae, & iracundae suscipiant. Sic nempe lubenti animo Medicis operam & studium nauant omne ad aegrotorum honoratorum sanitatem tuendam; non nisi adpropriata morborum indoli consilia capiunt, & medicamenta eidem fini respondentia admittunt, noxis denique praecauent multis, quas ignari rerum salubrium, vel adulatores, vel ipsi aegrotantes incongrua adperendo creare potuissent.

## §. XXI.

*Auri sacra fames*, vituperium Medicorum magni numeri, quantum fieri potest, fugiendo talium auxilia, vel litteris etiam publicis magistratus est coercenda; fraudes enim faciunt tales improbi homines, opes perdunt ciuium praeter necessitatem, morbos protrahunt, nec saluti student aegrorum, sed suae. Ad quorum perniciosorum numerum non solum referendi sunt ii, qui operam suam triplo maiori compensatione dignam iudicant; sed illi etiam, qui lucri causa morbos fugare leui opera curatu vel difficiles vel impossibilis stulte iactitant, die Herren, so die Schwind- und Wassersucht, sie sey so alt,

als sie immer will, curiren, oder den Stein und das Podagram wegblasen wollen; nec non quidam, ob merces, non ad aegritudines solum profligandas remedia publice venditantes, quamquam iussa principum talia verant. Honestati & aperto ut studeant peclori omnes Medicarn artem exercentes ipsa latrri natura requirit, quippe qui communi adhaeret societati eum in finem, ut aegris misericorde saluator, minime opum & sanitatis desperditor, vel mercator existat.

### §. XXII.

5) *Priuilegiorum abusus* § II. descriptus quantum potest, caueri debet ac oportet, quoniam quisque facile imperitorum impunitus sic damna affligere alis audeat; quare nec eorum exercitia in Republica sunt tollenda, qui absque superiorum concessu medicamina venditant, atque curationes in & exerritorum affectuum insituunt, quamquam quid vita, quid sanitas, quid moribus, quid curare morbos penitus ignorent. Debent ergo limitari, vel cum necessitas urget, derogari priuilegia expressa medicorum falso pro iis habitorum; reliquorum, qui praeter voluntatem & notitiam principis artem misere tractant, §. 8. publice ab auctu tam fontico dehortentur, atque vi & poena obsequium ferre iussis cogantur.

### §. XXIII.

Chirurgi, quantum arti suae satisfaciunt, Republicae conseruando cives, praesertim milites in castris,

non

non minus vtiles existunt, quam Medici; at imperitia, conspicui vbique strages committendo periculosi, vel artem simul medicam sinistre exercentes numquam sunt inter ciues tolerandi. Hi enim audacter thrafonum more vngendo, secando, vrendo, dolores & humorum adfluxus cum excitando, tum augendo, vlcera fistulosa reddendo, inflammationes, gangraenam, sphacelum promouendo, non raro mortem accelerando tyrannidem exercent. Cui malo medendo necesse est, vt Imperantes leges publicare studeant, quae Chirurgicae arti deditos ad sobrium & solidum artis exercitium obstringant; quod cum obtineri debet, scholas aperiant, vbi Chirurgiae fundamenta, Anatomicis principiis superstructa, audire, atque Sectionibus ac operationibus interesse seduli queant. Cuius instituti exempla prostant numquam satis laude digna extollenda Berolini, Argentorati, Parisiis. Sic cerra, & longo exercitio probata edissent artificia; &, vt solatium laborum iis existat, non nisi tali ratione instructi in republica civili & militari rebus praeesse Chirurgicis debent. Morbos autem tractare internos ob rationes §. 12. contentas nemini Chirurgorum liceat; inter est enim Reipublicae damna inde metuenda prout illa, quae ex aliorum imperitorum artificiis proficiscuntur, §. 7. 8. 9. II. cauere.

## §. XXIV.

Quae quidem pro elaboratione tituli de *euenda Reipublicae salute per Medicorum bona constitio* sufficient modo

modo ea, qua sunt exarata, animi in salutem ciuium propensione suscipiantur. Quod si sit, aequum quisque de labore meo iudicium feret, idque in primis quum me rem acu vbiique retigisse & cuncta expluisse minime iactem; nam specimen est tyronis Medici. Nil amplius addam, nisi vnicum illud mentis desiderium, ut quicunque, litteras scientiasque colit, solida ediscat, atque patriam reuersus prudens in salutem vertere ciuium omni animo studeat. Interim cum imperantes, tum subditi bono solum communi semper vires ac officia sacrent, peragendo omnia, quae ad illud conseruandum & angendum faciunt; quae aduersa iudicantur iure, exceptando; siue statum ciuium considerent externum, securitatem & tranquillitatem publicam; siue, qui potior, illorum statum internum vitam integrum, incolumentque sanitatem. Salus denum publica ut omnium actionum inter ciues, sic praecipue inter Medicos supremus esto & perennans

F I N I S.



He 157.8°

?


ULB Halle  
002 179 687

3



sb





DISSESSATIO INAUGURALIS POLITICO-MEDICA,  
DE  
**TUENDA REIPUBLICAE  
SALUTE**  
PER  
**MEDICORUM BONA CONSILIA,**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSENSARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.  
SORE PUBLICO ORDINARIO, *etc.*  
FACULT. MEDICÆ SENIORE  
DECANO SUO SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*  
**PRO LICENTIA**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE.  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQUE CONVENTIS  
ANNO MDCCXLV. D. FEBR.  
*Publicæ ac placide Eruditorum ventilationi subjicie*  
AUTOR ET RESPONDENS

**HENRICUS BERCK,**  
CURIAE-BARUTHINUS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.*